



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

Euonichus est; & Plinius eiusdem Germanici sinus partem appellat *Sinum Lagnum*, scilicet ad Insulam *Langeland*. Postmodum ab Hermoldo, & Adamo Bremensi Balticum denominatur, nempe à *Baltia* Insula, de quâ in Scandiâ, cuius fauces inter Cymbricam Chersonesum, & Nerigonem ab iisdem assignantur.

§. 2. *Quantitas.*

SCANDIA Xenophonti Lampfaceno apud Plinium dicitur *magnitudine immensa, & penè similis continenti*. Solino *Germanicarum Insularum Maxima*, aliàs *Britannicarum*, & meliùs. Apud Ptolemæum supra modum, & veritatem restringitur, ei enim longitudinis tres tribuuntur gradus sub gradu latitudinis 58. qui tantum reddunt 92691 passus, seu 737 stadia circiter. Procopius autem lib. 2. Belli Gothici decies maiorem Britannia facit.

FENINGIA non minor opinione creditur ipsâ Scandinaviâ: Ita Plinius.

§. 3. *Qualitas.*

PROCOPIVS loco laudato, vbi sub falso Thules nomine describit Scandiam, hic solem ait existere supra terrâ diebus 40. quemadmodum & postea totidem latere Sed in tēpore turpiter aberravit, cum ait id contingere circa extremum æstatis & dum vergit in Autumnum & circa hyemis postrema, cum in utroque Solstitio dicere debuerit. Et cum Sol tandiu latet timere indigenas ne Solem perdant, nec repetitam experientiam abstergere timorem, ideoque mittere speculatorem in montes qui Solis reditum annunciet, qui multa cum voluptate recipitur.

§. 4. *Mores.*

SCRITHIFINORVM mores sic depinguntur à Procopio lib. 2. Bel. Gothici. Belluarum in morem vitam degunt: toti sunt in venationibus, agros nusquam colunt: carne tantum vescuntur, & ferarum pelles quas nervis consuunt sibi aptant inconcinnè. Pueros lacte non nutriunt, sed medullis, & cerebellis animantium. Puerpera foetum enixa eum suspendit ex arbore in pelle ferinâ, &

illicò cum marito ad venationem pergit. Deos ac Dæmones plurimos colunt, sed Deorum maximum arbitrantur Martem, cui mactant primum ex hostibus quem ceperunt: prius hunc suspendunt viuum ex arbore, indè que inter vepres & senticeta raptant, sicque miserè excruciatum conficiunt.

GOTHORVM antiquorum hi mores commemorantur à veteribus. Ferè tantum pellibus vestiti incedunt, sordido cultu, Fœminæ paulo elegantiori. Duellis seu Monomachiis erant deditissimi, his sibi gloriam, sibi pulchras vxores comparabant. In Comitia sua procedebant armati scuto, galeâ, lanceâ. Cùm audiebant in aère strepitus, sagittas eò collineabant quasi Diis suis laborantibus opem laturi. Vtebantur in bello rotis armatis ferro, & vneis, quas peritè immittebant in hostes, & iisdem sese muniebant. Principum demortuorum cadauera, aut suspendebant ex arboribus, aut comburebant Iunipero. Templum habebant magnificentissimum totum obductum auro, in eo tres statuæ Deorum. Qui stabat in medio dicebatur *Thor*, præerat ille aëri & tempestatibus, hic erat Iupiter. Alij duo *Voda*, & *Fricco*, seu *Friga*, hic voluptatibus præerat, ille bello. Nono quoque anno hîc fiebat publicum sacrificium à quo nemo eximebatur, ex omni animali quod masculum esset nouem capita Diis offerebant, & cadauera suffigebant arboribus quæ ab eo tactu sacre fiebant.

§. 5. *Scandia, seu Scandinavia*, la Suede, & la Noruege.

SVIONES	}	SCANDII nomen retinent in Prouincia Sconiâ, aliter Scaniâ.
SVEONES Eginhardo.		HILLEVIONES, aliter Helleuiones, Ptolemæo Leuoni, fortè pro Hilleuoni: hodie est Regio <i>Halland</i> , seu <i>Helland</i> , & <i>Hilland</i> . Hi autem dicuntur quingentos ineluisse pagos, quare mirum non est, si eos porrigam per totum Orientale latus montis Sueuonis, qui totum hunc tractum bifariam secat hodie, <i>les Montagnes de Suede</i> , aliter <i>Doffrins</i> .
Iornando Suehans, & Suehidi.		
la Sueuonie, les Nordles,		
		GVTÆ, seu GVTHI, vbi vulgò collocantur Gothi in historiâ famosissimi, vnde in Germaniâ transisse dicuntur, grauitè repugnâte Chuerio.

